

1273

carnis nostræ prava suggestio , & sollicitatio ad malum : quomodo Diabolus tentabat Christum , & tentat bonos quotidie: Dei tentatio bona est, quia est examen ad bonum.

*tatio bo-  
tatio mala  
& quo-  
o diffe-*  
Vt vero constet quæ bona, quæ mala sit tentatio, utriusq; discriminata tenenda sunt.

I. *In causa effidente.* Bona semper est à Deo: mala à Satana & concupiscentia nostra. Ideo Satan dicitur ὁ τελεγόντων tentator. author male tentationis. Cum vero dicitur esse à Deo, intelligitur id non effectiue, sed permissiue, quia nos ad malum à Satana vel carne nostra sollicitari sinit, quod poterat impeditre, sicut de Ezechia rege monstrante legatis Babylonis thesauros suos dicitur, quod dereliquerit eū Deus, ut tentaretur. In sexta igitur petitione precamur, ne nos Deus inducat in temptationem mala, id est, ne nos deserat, nec à Satana tetari, vel grauius, quā ferat nostra imbecillitas, tentare sinat. Inducere enim in temptationem, & tentare non sunt plane idem.

II. *In materia siue obiectis circa quæ, & per quæ fiunt:* Bona fit tā per bona quam per mala, eaq; externa fortunæ vel corporis. Aliquando enim Deus nos explorat per mandata carni grauia, rationi absurdæ, ut Abraham hoc loco: Et Christus in Euangelio adolescentem, cui dicit: *Abi & vende omnia quæ habes, & sequere me:* Et Philippum interrogans de panibus in deserto pro populo famelico Ioh.6.5.&c. Aliquando per affluentiam bonorum: ut Salomonem, Ezechiam: Aliquando per afflictiones externas, morbos, exilia, crucem, tyranos, ut Iobum: Aliquando per dilationem auxili, ut Christum in cruce clamantem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti?* Et sic etiam membra eius, Dauidem, Ieremiam, &c. Aliquando per pseudoprophetas, ut populū Deuteronom.13. Aliquando denique per Satanam ipsum, ut Apostolum 2.Cor.12.7.

1274

A Mala vero per bona & mala externa, fit tantum per accidens, vt cum Satan occasione bonorum animi, fortunæ, vel corporis impellit ad superbiam, luxum, tyrannidē, adulteria, &c. vel malorum externorum, ad apostasiam, cædes, furtæ, &c. Per se autem fit per mala interna, prauas cogitationes, desideria, libidines, affectus, odium, irā, inuidiam, &c.

III. *Informa:* Bona est probatio, examen, & detectio latentis in homine virtutis vel vitii, roboris vel imbecillitatis, B pietatis vel impietatis, fidei vel infidelitatis, candoris vel hypocriseos, patientiæ vel impatientiæ, constantiæ vel leuitatis, quod innumera temptationum exempla facile ostendunt, quæ probatio est res suo genere bona, & Deo competens, & ideo non deprecanda, sed sponte subeunda, imo etiam petenda. Sicut David in Psalmis saepe se offert ad tale examen: *Domine proba me, tenta me, &c.* Mala vero est solicitatio seu impulsio ad praua desideria, consilia, actiones & C opera, hoc est, ad peccata, superbiam, lasciuiam, apostasiā à Deo & veritate, &c. Quod itidem exemplis scripturæ & experientiæ quotidianæ notum est, quæ impulsio res est suo genere mala, non Deo sed Diabolo competens. Et ideo non est appetenda, sed semper deprecanda, ne permittat Deus Satanæ nos solicitari, aut si permittit ne deserat.

IV. *In effectu:* In bona Deus semper quod intendit consequitur. Semper enim per temptationis examen producit in lucem hominis vel fides & constantia, vt in piis & firmis temptationem sustinentibus, vel imbecillitas & hypocrisis, in temptatione vel nutantibus vel plane succumbentibus. In mala Satan non semper, quod intendit, obtinet, sed tantum, cum Deus ei permittit, vt in temptatione prima hominis labentis, in Dauid rapiente Bathsebam, numerante populum: In Christo autem tentato in deserto, in Apostolis item, *Luc.11.31.*

Oooo      quos